



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. I. De effectibus immediatis, ac remotis Excommunicationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

## Q U Æ S T I O I V.

## De Effectibus Excommunicationis Majoris.

**U**Nicus est effectus majoris excommunicationis, videlicet totalis privatio Ecclesiasticae communicationis, juxta explicationem art. i. traditam. Verum quia pluribus diversis bonis tam Spiritualibus, quam temporalibus privatur fidelis per excommunicationem, ideo per respectum ad illa plures effectus distingui solent majoris excommunicationis tam immediati, & proximi, quam mediati, seu remoti; qui omnes varie a Variis enumerantur. Examinabimus primo, Quinam dicantur effectus Excommunicationis proximi, quinam remoti? Deinde de singulis effectibus immediatis seorsim agemus.

## ARTICULUS I.

De Effectibus immediatis, ac remotis Excommunicationis.

*I. Effectus Excommunicationis immediati, & proximi undecim solent enumerari.*

*II. Quatuor ex his ad communicationem spirituales spectant primario; tres autem secundario, utpote spectantes ad Beneficia, & rescripta Apostolica.*

*III. Reliqui quatuor spectant ad politicam, & temporalem participationem.*

*IV. Effectus vero remoti, & mediati sunt sex alii, qui recensentur.*

**I.** **Q**uaritur primo; Quinam sint effectus excommunicationis immediati, & proximi?

Respondeo, posse ad hos undecim reduci. Primus est privare excommunicatum communibus Ecclesiae suffragiis. Secundus privare participatione Sacramentorum tam activa, quam passiva. Tertius privare divinis officiis, Ecclesiastica sepultura, & aliis rebus sacris. Quartus, quod Ecclesia-

sticam personas suspendat tam ab officio, quam a beneficio, ita ut impediat juxta aliquos Doctores non solum acquisitionem domini proventuum Ecclesiasticorum, sed etiam eorum administrationem. Quintus, quod reddat personam non solum incapacem, & ineligibilem ad Beneficia Ecclesiastica, sed etiam inhabilem ad alios eligendos ad hujusmodi beneficia. Sextus, quod privet excommunicatum quolibet usu jurisdictionis tam in foro Sacramentali, quam in foro externo non solum Ecclesiastico, sed etiam (ut probabilius Doctores docent) seculari; unde si Princeps excommunicetur, absoluti maneant subditi a fidelitate illi prestanda, etiamsi juramento firmata sit. Septimus, quod excludatur excommunicatus ab omnibus actibus forensibus, excepta solum sui defensione, ita ut in judicio non possit esse Actor, neque Testis, neque Advocatus, neque Procurator, neque Tabelio, &c. Octavus, quod etiam prohibeatur, ne ad dignitates temporales, aut ad officia, & ministeria publica assumatur, videlicet Judicis, Praetoris, Tutoris, Procuratoris, Curatoris, &c., quamvis non sit irrita talis

etc-

electio, seu assumptio, si jurisdictionem non includat. Nonus, quod illi pariter prohibeatur omnis humanus, & civilis contractus, necnon usus cujuslibet officii, seu ministerii publici, quod humanam communicationem requirat; quamvis nec sint invalida, quæ ab eo in hoc genere aguntur, nisi etiam jurisdictionem requirant. Decimus, quod privetur omni communicatione politica, & humana cum aliis fidelibus, ita ut non possit ab iis salutari, cum iis colloqui, &c. Ultimus, quod literæ Apostolica, seu Papæ rescripta in sui favorem impetrata ab excommunicato (etiam tolerato juxta communem contra Navar.) sint irrita, præterquam super excommunicationis, aut appellationis articulo.

II. Ex his aliqui effectus primario spectant ad spiritualem communicationem; aliqui secundario; & alii spectant ad communicationem temporalem, & politicam. Spectant primario ad spiritualem communicationem: Primo, privatio communium Ecclesiæ suffragiorum. Secundo, privatio participationis activæ, & passivæ Sacramentorum. Tertio, prohibitio, ne Ecclesiam ingrediatur excommunicatus, quando divina officia celebrantur, & ne donetur Ecclesiastica sepultura. Quarto, prohibitio, ne cum fidelibus in divinis communicet.

Spectant vero secundario ad communicationem spiritualem: Primo, suspensio ab officio, & beneficio. Secundo, quod excommunicatus sit incapax, & ineligibilis ad beneficia Ecclesiastica, nec possit alios ad ea eligere. Tertio, quod sit incapax ad obtinenda rescripta a Sede Apostolica. Huc etiam spectant duo illi effectus excommunicationis remoti, videlicet, & quod Clericus excommunicatus, si exerceat officium alicujus Ordinis Sacri, fiat irregularis; & quod excom-

municatus quicumque, si per annum in excommunicatione persistat, sit suspectus de hæresi, & aliis pœnis puniri debeat.

III. Demum ad temporalem, & politicam participationem spectant: Primo, quod excommunicatus privetur usu cujuscumque jurisdictionis. Secundo, quod excludatur ab omnibus actibus forensibus, præterquam ob propriam defensionem. Tertio, quod repellatur ab omnibus dignitatibus, & officiis temporalibus. Quarto, quod privetur omni humana, & politica communicatione cum fidelibus.

IV. Quæritur secundo; Quinam sint præcipui effectus mediati excommunicationis?

Respondeo; Primus est, quod excommunicationem minorem incurrat illicite communicans cum excommunicato, & in aliquibus casibus incurrat excommunicationem majorem, ut diximus art. 3. Secundus, quod pœnam irregularitatis incurrat Clericus excommunicatus, qui solemniter, & ut minister Ecclesiæ exercet officium ordinis Sacri, quem habet, ex cap. *Is qui, de sententia excommunicationis in 6.* Tertius, quod pœnam suspensionis incurrat, qui excommunicatus ob percussorem Clerici Ordines suscipit, ex cap. *Cum illorum, de sententia excommunicationis.* Quartus, quod incurrat privationem beneficii, quod forte habet, qui excommunicatus in contumacia perseverat per triennium. Quintus, quod qui in excommunicatione obdurato animo per annum perseverat, sit suspectus de hæresi, & ut talis possit puniri, ex Trident. sess. 24. cap. 3.; Videtur enim contemnere Ecclesiæ claves, suffragia, & Sacramenta; unde fit de hæresi suspectus, suspitione tamen levi; ut proinde purgare se teneatur, & nisi id faciat, habeatur pro convicto: Si tamen perseveret per annum, non obdurato

animo, sed ex impotentia, aut ignorantia, non est suspectus de hæresi. Si demum per aliquod tempus infra annum obdurato animo perseveret, puniendus est aliqua temporali pœna, ut docet Covarr. cum aliis. Ultimæ effectus remotus est infamia, ex cap. *Infamis, quest. I.*; ubi Stephanus Papa inter personas, quæ secundum Canones habentur infames, enumerat excommunicatos. Sed de effectibus immediatis sigillatim agendum.

## ARTICULUS II.

De Primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus.

- I. *Non privatur excommunicatus suffragiis, seu subsidiis spiritualibus, quæ habentur a Christo Domino per missæ Sacrificium, aut quæ ab aliquo fidei habentur, in quantum est persona particularis, sed solum iis, quæ habentur ab Ecclesia, dum publice orat, Sacrificium offert, & Indulgentias largiuntur.*
- II. *Minister Ecclesiæ, in quantum est persona publica, illicite simul, & invalide offert pro excommunicato Sacrificium, ac orationes, aut Indulgentias dispensat; valide tamen, & licite in quantum est persona privata pro eodem orat, ac offert actionem ipsam sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis.*
- III. *Fructus Sacrificii ex opere operato valide, sed illicite pro eo offertur a Sacerdote in quantum Christi ministro. Tres quippe veluti personas Sacerdos representat.*
- IV. *Cur Ecclesiæ die Parasceves pro hæreticis, & pro non baptizatis oret?*
- V. *Probabilius etiam in divinis licet*

*tum est cum excommunicato tolerato communicare.*

VI. *At probabilius nullatenus licitum est publicas preces pro excommunicatis contritis offerre.*

I. **Q**uæritur primo; Quid sit, excommunicatum privari communibus Ecclesiæ suffragiis?

Respondeo, suffragia nihil aliud esse, quam spiritualia quædam subsidia, quibus fideles tam vivi, quam defuncti juvantur, sive quoad satisfactionem pro pœna temporali, sive quoad meritum de congruo, seu impetrationem aliquorum bonorum vel spiritualium, vel quæ ad spiritualia conferunt. Triplex autem in Ecclesia datur suffragium, seu spirituale subsidium. Primum est a Christo Domino pro nobis offerente Sacrificium missæ ministerio Sacerdotis. Secundum est ab Ecclesia, quæ per suos ministros publice orat, Sacrificium offert, & de thesauro Ecclesiæ satisfactiones dispensat, ut diximus cum de Indulgentiis. Tertium est a quolibet fidei, in quantum persona particularis est; sæpe enim unus pro altero orat, suasque satisfactiones pro illo offert.

Certum est nunc, subsidio spirituali primi, & tertii generis non privari excommunicatum, cum ea non sint Ecclesiæ suffragia; Etenim independenter a qualibet dispositione Ecclesiæ & Christus Dominus offert pro nobis suum Sacrificium ministerio Sacerdotis, & quilibet offerre potest pro altero suas orationes, & satisfactiones Deo; Unde subsidium primi generis, licet sit suffragium commune, non est tamen commune suffragium Ecclesiæ; subsidium vero tertii generis est suffragium privatum; Quare solum subsidium secundi generis dicitur suffragium Ecclesiæ commune, & hoc tantum privatur excommunicatus;